JOSEPHI CHRYSOST. BERN. BERNARD,

ORATIO

DE

RATIONE HIPPOCRATICA, NOSTRA NON MINUS QUAM BOERHAVII AETATE, COMMENDANDA;

QUA MUNUS DOCENDAE IN ACADEMIA LEIDENSI MEDICINAE AUSPICATUS EST,

A. D. VII MARTII CIƆIƆCCCXVIII.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXIX.


LIBRARY

Rationem ingenii vere humani considerantes, eam ita esse comparatam reperiemus, ut, quae alii se observasse profitentur, ea nec temere arripiat, nec lente in iis acquiescat. Ducimur omnes cupiditate diversarum sententiarum fontes et origines indagandi, comparationemque instituendi cum ipsarum, tum eorum, quae nobis ipsi videmur didicisse, unde fiat conjectura rerum, quae ex ista comparatione consequantur. Quas si quis experimentis diu multumque illustraverit, illud egregium in quavis arte, sed medica inprimis, exsistit ornamentum, quem vocamus Usum. Sed ea artis tractatio, quae tantum in contemplando cernitur, convenientia plurimum, opinione et finitis sententiis tanquam fundamentis, nititur. Facta autem contemplationis ususque conjunctione, sua inde sibi quisque placita conficere, confecta in corpus quoddam redigere solet, quale Systema vulgo appellatur.

Magna horum in omni genere doctrinarum semper fuit multitudo, nec minor in medica. Neque id sane mirum. Nam, quum hoc praestantissimi quique Medici unice agerent, ut naturae vim et efficaciam in corpora humana apto et connexo ordine a certis causis derivarent, easque causas alii

 dein-

deinde aliunde repeterent, fieri non potuit, quin pro diverso temporum cursu diversa etiam via ingrederentur.

Hinc tam multiplices et contrariae morborum cognoscendorum curandorumque rationes, quae, in Historia rei Medicae versantes, in ea tanquam Labyrintho includunt. Unde equidem non video, quomodo nos melius expediamus, quam si naturam, quasi filo ducentem secuti, ea semita progrediamur, qua progressus est homo divinus Hippocrates, quoque Medicos, hujus vestigia relinquentes, reduxit alter Hippocrates, Hermannus Boerhavius.

Is centum et septemdecim abhinc annis in hac aede, hoc ipso ex loco, rem quam diximus longe praeclarissimam perfecit, ita ut brevi omnis Europa argutiis philosophicis certam experientiam praeferret. Et, quamquam ego Boerhavii magnitudinem minus etiam quam meam ipsius mediocritatem sentio; nam ne dicere quidem ausim, me cum illo non esse comparandum; non committam tamen ut, quod Boerhavius pro sua auctoritate quasi jusserit, idem ego laudare non annitar: sed Vos saltem, generosi Adolescentes, futuri Commilitones, et ut spero amici, (neque enim tantum mihi sumo, ut alios admoneam) Vos igitur admonebo, *rationem Hippocraticam, nostra non minus quam Boerhavii aetate, esse commendandam.*

Hanc mihi commendare incipienti, summa Graecorum subit admiratio, qui, plurimis artibus aut inventis aut perfectis, medicinae etiam emendatae gloriam ita sibi vindicarunt, ut in Graecia primum inventa esse videatur.

Fuê-

Fuêre ante Hippocratem magna laude florentes Philosophi; nam tunc temporis rerum divinarum humanarumque scientiam animo complectebantur; fuêre, inquam, Philosophi, quibus ars salutaris multa debet. Quis enim Pythagoram, Alcmaeonem, Empedoclem aliosque ignoret? sed omnium luminibus suo unius lumine ita offecit Hippocrates, ut hujus demum beneficio *Medicina* prorsus e tenebris emerserit. Tenebras dico involucra quaedam et integumenta, quorumdam fraude et superstitione medicinae circumfusa, et argutas hominum otiosorum ratiocinationes, ab omni actione segregatas, usumque non habentes ducem, sed comitem etiam invitum trahentes. Ex his ergo tenebris et servitute Hippocrates Medicinam in lucem et libertatem vindicavit, rationem in eo secutus, non a cognitione vulgi remotam, sed maxime simplicem: signum illud veritatis clarissimum.

Quid enim? Naturam observavit, observatam ingenio illustravit, experientiae auctoritatem constituit. In umbra alii et in scholis de morborum genere et sanatione, fere ut coeci de coloribus, disputantes sibi placebant: Hic ad ipsos aegrotantium lectos assidendo, vigilando, agendo, suum exercebat animum. Indulgebant alii cogitationibus, acutis saepe, sed dubiis, errabant in coelo et in stellis: Hic vires naturae medicatrices anxie investigabat, intuens magis, quae ante pedes, quam quae tam longe essent remota. Alii ingeniose proximas rerum causas conjiciebant: Hic docebat quae ipso usu et tractatione compererat; brevi, incertam alii, Hic certam rationem amplectebatur.

 His

His praeclare positis fundamentis suam superstruxit doctrinam, quae summum omni tempore in rem medicam habebit momentum: cujus quippe veritas tam firma sit et perpetua, quam leges ipsius naturae. Nec sane multum profecerit, si quis artem nostram serio emendare cupiat, nisi ad hanc doctrinam suas emendationes exigat, et conformet.

Sed quod rationem Hippocraticam suis simplicem munditiis nitere ostendimus, hoc nemo ita accipiat, quasi aut ipse Philosophiam a Medicina secluserit, aut nos eandem inde seclusam vellemus. Imo, ut Plato felices praedicat regiones, quibus Reges philosophi praeessent; ita Hippocrates Medicinam a Medicis philosophis, tanquam a Deis, augeri ornarique profitebatur. Ennius Neoptolemum facit dicentem, philosophari sibi necesse videri, sed paucis. Idem quoque hic nobis necesse videtur, quin multis etiam, modo recte fiat. Ad omnes enim doctrinas Philosophia est utilissima, nec minus ad Medicam: ea scilicet, quae nos accurate discernere, integre observare, subtiliter judicare, et apte concludere docet; ut adeo arti nostrae afferat splendorem, non fumum.

Sed videte hominum perversitatem! Coeperunt in hoc genere nimis philosophari; et fonte, quem Hippocrates divinitus monstraverat, partim relicto, corrupto partim, delusi scientiae non fallentis imagine, Medicinam Philosophiae subjecerunt. Jam Dogmatici certas sibi componere regulas, distribuere classes, instituere ordines; jam ad horum singula, tamquam leges, singulos morbos referre et curare, experientiae autem et usui parum aut nihil

tri-

tribuere. Qui quum pro libidine saepissime agerent, nec sibi ipsi constarent, et multa interea nova in re Anatomica, Physica et Pharmaceutica, homines addiscerent, factum est, ut ad Hippocraticam rationem redirent.

Sed quam difficile sit, in quavis rerum aut sententiarum mutatione habere modum, suo etiam exemplo Empirici ostenderunt. Primum enim, contra quam Dogmatici solebant, ex signis apertis causas latentes derivantes, mox omnem adeo prudentiam et consilium neglexerunt, eoque audaciae, ne quid gravius dicam, processerunt, ut ipsum Empiricorum nomen contemtui esse coeperit. Diu post inventus est Themison, ejusque discipulus Thessalus, qui, quod in utraque secta nimium esset et vitiosum, se sustulisse crederent, via incedentes, quam vocabant, methodica. Venit Galenus. Actum erat de methodicis. Atque ita deinceps, singulis fere hominum aetatibus, nova Medicinam forma induerunt: quae primum, ut solet, laudibus in coelum efferebatur, brevi frigebat, tandem alteri formae locum cedebat. Sic Paracelsus, Helmontius, Sylvius, suo quique tempore floruerunt.

Tantam quidem sententiarum varietatem et permutationem quid aliud indicare putemus, quam singularum et omnium infirmitatem? Equidem non sine horrore cogito, quo tandem hoc in dies gliscens malum erupisset, nisi res medica Jovem quemdam Statorem in patria nostra reperisset.

Saepius a viris doctis disputatum est, utrum propositionum illud genus, quod Hypotheses vocant, doctrinis gravioribus profuerit magis an nocuerit. Mihi utrumque et profuisse et nocuisse videntur, omnemque earum utilita-

tem

tem modo, quo quis eas adhibeat, esse judicandam arbitror. Omnes fere, qui in sua disciplina familiam duxêre, in tanta animi humani caligine, ad istas propositiones confugisse reperimus, earumque auxilio saepe eo pervenisse, ut res maximi momenti explicare et illustrare potuerint. Quodsi vero iidem suas propositiones tam veras et certas esse sibi persuaderent, ut ex ratione connexorum alia deinde sequi cogerent, eaque vel maxime aliena, nec loco nec tempori opportuna, ad ipsas artes transferrent, hi dici vix potest quam imprudentes se praestiterint. At Hippocrates et Boerhavius ipsi suas habuêre propositiones. Non nego, imo laudo. Nec me latet, fuisse, qui de ratione Boerhaviana, Chemica illa et Mechanica, qui de doctrina humorum, aliisque ab eo in contemplatione artis Medicae spectatis, non adeo magnifice, nec pro tanti viri existimatione senserint. Sed hoc ipsum, Auditores, ejusmodi est, ut de civis nostri gloria non tantum non detrahat, sed eam etiam vehementer augeat.

Cognoscite enim illius prudentiam sapientiamque. Quae domi secum aut in scholis meditabatur cum discipulis, quae mente et ingenio diu agitata non ita esse quidem, sed posse ita esse suspicabatur, ea nunquam ad aegrotantium corpora accommodabat, nisi ipsa Natura ea esse accommodanda digito quasi indicaret. Boerhavius artem exercens diversus erat a Boerhavio eandem contemplante: eadem illi laus debetur, quam Hippocrati tribuimus, hac excepta, quod experientiae auctoritatem non constituerit, sed restituerit. Haec enim laus ab Hippocrate beneficio aetatis illi fuit erepta.

Ut-

Utinam vero fines scientiae medicae, quibus ingenia etiam felicissima tunc temporis circumscribebantur, tam late, quam nunc sunt, fuissent propagati! Equidem, Auditores, satiari non possum delectatione, quoties mecum cogito, qualis ac quanta artis nostrae futura fuisset felicitas, si Boerhavio recentioris aevi inventis uti licuisset.

Nam quid dicam de majore vasorum lymphaticorum cognitione, de pulpa et fibra nervea, de membranis, de bursis mucosis? quam multa ad naturam humani corporis pertinentia melius inde sunt explicata? quantum Physiologiae accessit emolumentum? quot morbi accuratius cogniti? remedia excogitata? judicium vero de vi et efficacia medicamentorum certius factum est et exploratius? Campus hic mihi ad dicendum aperitur amplior, quam pro vestra me sequendi patientia: unum tamen de Chemia locum silentio praeterire non possum.

Diu illa jacuit neglecta, tanquam gemma in sterculinio. Alchymistae thesauros sibi ex ea et aureos montes pollicebantur, inveniebant carbones. Neque fieri aliter potuit, quum ita quaererent, quasi id ipsum longius etiam removere, et in perpetuum amittere vellent. Aureos Chemiae esse fructus vere vidit Stahlius, sed eos non metallo, sed recta artis exercitatione metiebatur. Optime inquam de Chemia meritus est Stahlius. Nec vero quisquam in ejus doctrina ingenium aut sagacitatem desiderabit: quod vel ex longo, quo floruit, tempore facile conjici possit. Sed quum ille signum quoddam sustulisset, quod alii sequerentur, iique de lumine illius suum accendissent lumen, magnoque studio et ardore viam sibi munirent, tandem exortus est

omnium Chemicorum princeps, Lavoisierius, qui gemmam ipsam suo ita restituit splendori, ut coecus sit oporteat, vel sponte oculos claudat, qui isto splendore non capiatur.

His igitur inventis si Boerhavius uti potuisset, quam praeclare de re medica fuisset actum? Nunc quid inde profecerunt Medicinae in novam subinde formam redactae auctores? Suam quisque disciplinam, novis adjutam auxiliis, antiqua firmiorem esse contendebat. Neque vero deërant, qui hoc vere possent contendere: quamdiu nempe ipsa experientia nollent esse sapientiores. Hanc autem sensim, ut fit, minoris facientes, et blanda opinionum specie deliniti, verborum novitate et gratia delectabantur, rem ipsam non multum curabant.

Vellem, Auditores, aliquis dixisset, nullam medicinae pestem esse capitaliorem hac ipsa opinionum specie. Libens ego verba illius mea facerem, nec adeo dicti vererer invidiam. Vos mihi nunc ignoscite, si ingenue profitear me plane ita sentire. Artem exercemus omni difficultatum, laborum periculorumque generi obnoxiam. Remigem vobis proponite, qui cymbam adverso flumine multa vi remis, brachiis vix promovet, sed promovet tamen Is autem, si sublatis modo in coelum serenum oculis, modo in amoenas utrimque ripas, varia secum et jucunda cogitans, brachia imprudens remittit, prono aquarum cursu in transversum rapitur, nec, quo proposuerat, pervenit. Non valde dissimilis multorum post Boerhavium fuit fortuna. Horum ego laudo ingenium, suspicio sagacitatem, admiror acumen. Sed

quid

quid quaeso omnia animi bona arti nostrae auxilientur, si iis laudem potius quam utilitatem quaeramus? Levis certe, levis est gloria, nisi eadem sit fructuosa. Novum sectae Methodicae genus revocavit Cullenus; progressus est ultra modum experientiae; secta periit. Viginti quinque sunt anni, quo tempore primum Brownius coepit nobilitari. Omnia ille ad normam suam redacturus esse videbatur, nunc qnotus quisque est, qui Brownii nomen usurpet? Roschlaubius qua fama, quo applausu doctrinam vires corporeas incitantem tuebatur? Brevi de ipsa doctrina Medici inter se dissidebant, alii eam aliter interpretabantur. Sed ratio una omnium acutissime inventa, magnoque sapientae apparatu involuta, ea est, quae a rebus metaphysicis et philosophia naturali pendet. An nostram ea aetatem et aliam deinceps sit duratura, equidem non scio: suspicor tamen fore, ut huic aliquando idem accidat, quod caeteris omnibus accidit. Locum cedet novae.

Quae adhuc de variis doctorum hominum sententiis, liberius forte, a me dicta sunt, ea, Vos oro atque obtestor Auditores, ut ita accipiatis, quasi nullius laudes et merita, nulla omnino in re, minuere voluerim. Imo magnas nos singulis gratias debere arbitror, quum per eos liberum nobis sit, ex tanta diversitate quae optima videantur, eligere, nostramque ipsorum rationem emendare et ornare inde possimus.

Nos igitur, qui tanquam ad gubernacula sedemus, rationem et usum, certissima sidera, fixis oculis intuentes, ea cursum dirigamus, qua iter minima sit habiturum pericula. Comes nobis adsit disciplina experimentorum

et Historiae; sic nunquam fiet ut, nihil nobis arduum putantes, nec incognita pro cognitis habentes, ipsum coelum sapientia nostra petamus. Lento quidem gradu, nec diffiteor, ita procedit Medicus, sed eam tarditatem prudentia et gravitate compensat. Quodsi vero accidat, ut, quae vera esse non ausit affirmare, ea sequi interdum tamquam verisimilia debeat, ejusmodi tamen sequetur verisimilia, quae sua aliorumque experientia et observationes illi suppeditaverunt, et prudens vitabit ingeniose quidem ab aliis cogitata, sed eandem veritatis speciem non habentia.

Multa a Bacone Verulamio sapientissime monita sunt; in quibus et hoc: « ad opera nihil valere hominem, quam ut corpora naturalia admoveat aut « removeat; caetera naturam ipsam intus transigere". Hanc ille summi Viri sententiam in animo suo habet inscriptam; et naturam adjuvando, viresque, quibus utitur, indagando eam restituit.

Quis porro ignorat, quantum nova observatio, ex aegroto corpore facta, saepe valeat ad instaurandam sanitatem? Huc adde aegrotantis mores, consuetudinem, educationem, alia, quae leviora interdum videntur, nec sunt. Quoties enim factum est, ut inde morborum causae, indicationes, impedimenta curationis, ipsa denique curatio cognoscantur?

Sed ne cogitate, Auditores, Medicum, cum Hippocrate et Boerhavio facientem, aliis praeterea destitui auxiliis. Adfert enim sensum quemdam, qui ei, ut Genius Socrati, semper praesto est. Adfert judicium multo usu subactum; accurate observat et comparat res etiam minimas, nec quidquam, quod ad rem il-

illustrandam pertinere possit, neglectum effugere patitur. Hoc igitur in studio si nunquam cesset, comparat sibi quamdam percipiendi celeritatem, qua subito morborum diversorum ingenium, quamque spem et metum iidem morbi praebeant, intelligit. Mira sensuum vis est unicuique in ea arte, quam quotidie et diligenter tractat. Ex sono et voce aegroti, quam debilis sit, conjicimus. Digitis mutatos arteriae pulsus cognoscimus. Odore morbos quosdam discernimus; gustu medicamentorum bonitatem judicamus. Sed ea tamen ipsa sensuum vis ejusmodi est, ut prudens Medicus nimium iis confidere nunquam sit ausurus. Imo semper cavebit, ne ab ea, quam diximus, percipiendi celeritate fallatur. Nec vero falletur, si judicium usu subactum adhibeat. Hujus auxilio, quae universa subito in mentem veniunt, singula ponderat, atque ea demum egregia dos est, qua vel tenuissima rerum discrimina, quas similes vulgo arbitrantur, advertit; earum autem, quae dissimiles videntur, unas easdemque causas esse non semel observat.

Atque haec via, Hippocratis et Boerhavii vestigiis notata, plerisque fere in Patria nostra Medicis placuit. Fuere in his multae accurataeque doctrinae, summi ingenii parisque judicii. Et quam causam esse dicamus, cur illi, omnibus novam rationem constituendi praesidiis instructi, novam tamen non constituerint? Nullam profecto aliam, quam quod ratione Hippocratica nullam meliorem nec certiorem exstare arbitrarentur. Longum est omnia, quae in promtu sunt, laudare exempla: duo sint instar omnium, quorum et memoria est recens, et auctoritas gravis; PARADISII volo et OOSTERDYKII,

quos

quos mihi quondam contigisse praeceptores, semper loco magni beneficii habebo, quod divino me numini referre acceptum grata mente profiteor.

Tantos ego Viros si laudare aggrederer, rem profecto agerem actam, quum suarum uterque laudum nactus sit praecones, ad quorum ego sententiam plane meam adjungo. PARADISII ergo et OOSTERDYKII exemplo et praeceptis ego formatus, quid mirum est, Auditores, si eos omni, qua possim, ope imitari annitar: inprimis quum usu plus quam viginti annorum mihi intellexisse videar, tale exemplum, talia praecepta sua se simplicitate, fide, prudentia et veritate, majorem in modum commendare.

Quanto quidem ornamento uterque vestrae fuerit Academiae, Curatores Amplissimi, et Vos, credo, memoria non minus grata repetitis, quam ego idem cogitans, animum prorsus interdum dimitto. Sentio enim, quam vix ulli bono aut probabili Medico facilis sit favor apud Hollandos, succedenti tantae PARADISII et OOSTERDYKII gloriae. Sed hoc me solatur, quod desiderium illorum aliquâ lenire possim, si me illis ratione et praeceptis quam minime disparem praebeam. Atque hujus rei cogitatio eam, quam videtis, mihi dedit fiduciam, ut oblatum docendi munus accipere sustinuerim. Quod munus si me ita obire cognoscatis, ut mea voluntas et industria vobis probentur, tum vestro me favore et benevolentia prosequamini. Sic fiet, ut nec Vos vestrae de me opinionis, nec me relicti Harlemi unquam poeniteat.

Vos quoque, Clarissimi Professores, vestrae me amicitiae habete commen-

da-

datum, atque in ordinem vestrum recipite, ut novos recipere soletis collegas, qui sese student tanto honore dignos reddere. Atque illud a Vobis inprimis peto, quos ejusdem disciplinae necessitudo arctiore vinculo mecum conjungit. Verba mihi desunt, quibus significem, quanta laetitia, te, egregie BRUGMANSI, praesens praesentem ex hoc loco intuear. A primo inde tempore, quo haec studia inchoavi, ad hunc usque diem, semper te ducem, te auctorem, te amicum cognovi. Eodem tu me beneficio tibi obstrinxisti, doctissime PUTEANE, pro quibus officiis quamquam majores gratias habeo, easdem tamen hic ago. Vos soli vivitis, et diu etiam vivatis, quos Praeceptores discipulus colui, Collega Collegas, Amicus Amicos saluto. SANDIFORTUS et VOLTELENUS, eo abierunt, quo PARADISIUS et OOSTERDYKIUS. Horum ego, quod possum, manes nunc veneror, quoniam ipsos adspicere nec adloqui possum. Et si quis manium est sensus, ut humana etiam curent, oro, ut hanc pietatem volentes accipiant. Quantum enim his omnibus et singulis debeam, te testem appello, GERARDE SANDIFORTE, quem mihi in eodem curriculo, tunc discendi, nunc docendi, comitem obtigisse gratulor. Nec te forte effugerit, nobilissime KEMPERE, quam gratis et crebris sermonibus Praeceptores meos laudare solerem. Ecquid meministi te hic adesse, quum ante hos duos et viginti annos de honore Doctoris publice certarem? Equidem memini, qui te etiam nactus fuerim in disputando adversarium. Quod si tunc aliquis nobis dixisset, fore aliquando ut, qui affinitate et amicitia essemus devincti, eodem etiam munere in eadem

Aca-

Academia devinciremur, suaviter eum jocari potius quam serio loqui censuissemus. Nunc, quoniam ipsa res fidem facit, inprimis opto, ut hoc tibi tam gratum sit, quam mihi est.

Sed Vos, optimi et ornatissimi Adolescentes, qui medicae rei operam navatis, talem me habetote, qui vobis comiter et amice viam monstrare sim conaturus, eam scilicet viam, qua Hippocratem, Boerhavium, alios processisse vidistis. Ipsa ars, cui olim exercendae studetis, est res gravissimi momenti, quippe qua vita vertatur humana. Quo gravior autem haec sit, eo majorem Vos adferte industriam et modestiam. Intelligitis quinam futuri sint harum virtutum fructus? Amplificatio Medicinae, solatium aegrotorum, gloria hujus Academiae, atque totius Patriae. Quod Deus Optimus Maximus bene vertat!

D I X I.